

B. n. II. p.
h. 12, 4

X 187 6080

Q. D. B. V.



EXERCITATIO ACADEMICA,

De

REGE ROMANORUM.

Quam,
SUB PRÆSIDIO

VIRI CELEBRATISSIMI
JOH. CHRISTOPHORI
WAGENSEILII

J. U. D. & Juris Publ. ac Lingvarum
Oriental. Professoris bene meritissimi,

PATRONI, PRÆCEPTORIS ac HOSPITIS
sui, omni honoris cultu & amore prosequendi,

publice disqvirendam proponit,

HERMANNVS DIETERICUS MEIBOMIUS,
Helmstadiensis Saxo,

AUCTOR.


Ad d. XVI. Septembr. A. O. R. M DC XCI.

20

ALTDORFI,
Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typographi.

22.

SERENISSIMIS ET POTENTISSIMIS
PRINCIPIBVS
AC
DOMINIS
DN. RVDOLPHO
AVGVSTO
DN. ANTONIO
VLRICO
DVCIBVS BRVNSVICENSIVM
AC LVNÆBVRGENSIVM
DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS
HAS STVDIORVM SVORVM
PRIMITIAS
HVMILLIME OFFERT
HERMANNVS DIETERICVS MEIBOMIUS.



UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

HVMILLIME OFFERT

I. N. D. N. J. C.

I.

Imensem Civile corpus, hominumq; universum genus, stare ac librari sine Rectori non possunt, ipsaq; natura & ratio, summum aliquem & excellentem in rebus humanis ordinem exposcunt. Ideo qvosdam in proximo sibi fastigio collocavit Deus, qvibus summum rerum judicium, & jus ac arbitrium inferioribus dictandi leges concessit; aliis contra solam obsequii, & à nutu Superiorum pendendi gloriam, reliquit.

II.

Cunctas autem nationes & urbes, Populus, aut Primores, aut singuli regunt: *Tacitus l. 4. Annal. c. 33.* Postquam enim imperandi parendiq; rationem, inter mortales necesitas induxit, eorundem per orbem sparsæ societas, aut Uni cuiquam, aut Pluribus, se addixere, aut in universum Populum, jus suum potestatemq; contulerunt. Optimum autem, & divino proximum regimini videtur, cuncta regendi onus ad unum devolvi, unumque Imperii corpus unius Principis animo regi.

III.

Cæterum, invaluit jam olim duplex modus constitutiendi Principes ejusmodi, unus per Electionem, alter per Successionem. Aut enim hi, qvibus erat ea res in manu, supremam potestatem illi detulere, cui nascendi sorte debebatur; aut, spreto natalium jure, optimum qvem-

A 2

que

qve & dignissimum, Imperio elegere. Accesit denique & tertius, ex utroqve mixtus.

IV.

Solet passim apud Auctores, de primi hujus & secundi modorum, præstantia disqviri. Nimirum, sunt, qvi Ele^tionis auspicium, à peculiari aliquva Reipubl. libertate, & evidenti divini Numinis cura arcessunt, qvæsi hoc potissimum genere tradendi Imperii, præsentior Deus, & manifestior cœlestis destinatio comperiatur. vid. *Tacit. l. I. Histor. c. 15. seq. Plin. Paneg. c. 8.* Aliis, minore discrimine, & invidia Procerum, Princeps sumi, qvàm qværi, major qve Majestatis reverentia, & perpetua veneratio ac pietas, civium mentibus erga Principem, qvem non sors sed natura dedit, ingenita videtur. *Herodianus l. I. c. 5. Barcl. Argen. I.* Verùm, habet uterqve modus sua commoda, nec ab incommodis vacat. Illud verò controversia caret, benè ele^tum esse Principem, qvi, nisi electus foret, nasci debuisset: benè nasci, qvi, nisi natus esset, debuisset eligi. Interim, saluberrimum & minimis difficultatibus laborans ex Successionis & Ele^tionis mixtura, tempus mentum est, qvando scilicet non temerè qvidem, & abs qve justis causis, a Regnatrice familia receditur, successio tamen non valet, nisi ab Ele^tione, & Procerum, qvin & Populi interdum, consensu, momentum & robur accipiat.

V.

Juvabit omnino, anteqvam de Rege Romanorum cogitata perseqvar, occasione illorum, qvæ de Ele^tione & Successione diximus, altius paulo antiquam in Imperio nostro eligendi succedendiq; rationem repetere. Nec alienum fore credo, paucis ostendere prius, quo jure primi Romani Imperatores summam rerum administrati-

nistraverint. Sub initium igitur Monarchiæ Romanæ, hereditarium Imperium in Cæsarum familia fuisse certum est. Octavius enim Cæsar Augustus, cuius potissimum auspiciis, ad unius arbitrium Res Romana deoluta est, inter præcipua firmandæ dominationis consilia, legem successionis habuit ; cuius etiam regnatrix domus, ad Neronis usque obitum, (cum quo Cæsarum progenies defecerat) principalem dignitatem retinuit.

VI.

A Nerone, electum esse cœpit Imperium, unde Galba apud Tacitum l. I. Histor. c. 6. gloriatur, se Deorum hominum consensu ad Imperium vocatum esse, additq; postea : Sub Tiberio, & Cajo, & Claudio, unius familiæ quasi hereditas fuimus : loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Erat autem plurimum eligendi jus penes Milites, electum confirmandi penes Senatum, ut Tacitus Augustus apud Vopiscum, militibus jure dicere potuerit : Me, sanctissimi commilitones, primum vos, qui scitis Principes approbare, deinde amplissimus Senatus, dignum hoc nomine judicavit. Postea Constantinus M. ac iterum Theodosius M. viatores hostium, filios suos heredes rursus constituerunt, Imperio inter ipsos æquvis portionibus diviso.

VII.

Brevi interjecto tempore, Barbarorum prævalidæ in Italiam irruptiones, turbaverunt hoc institutum, atq; Heruli, Goths, Vandals, Longobardi, nova regna ibi condidere, novis legibus. Hos bello superatos, in ordinem rededit Carolus M. & Occidentale Imperium sibi vindicavit, atq; ab hoc perpetuâ denuò successione & hæreditate, ad posteros ejus, illud propagatum fuisse, magno consensu monumenta historiæ illius temporis comprobant, etsi accedens Procerum Populiq; consensus, saltem speciem

aliquam libertatis Principem eligendi præbuit. Scio quidem Celeberrimum J^ctum *Franc. Hotomannum*, sive partium studio abreptum, sive imagine & simulacro electio-
nis deceptum, in sua *Franco-Gallia c. 6.* scribere, Re-
gnum Caroli electione ad posteros ejus transiisse. Cui
ex nostris qvoq; adstipulatur *Christ. Lebmannus l. 2. Chro-
nici Spir. c. 3.* Verūm, qvām parūm hæc scriptoribus il-
lius ævi convenient, eruditè ostendit Cl. *Bœclerus Com-
ment. de rebus Sec. IX. & X. in Carolo M.* Indubitatum
successionis argumentum, Caroli supremæ dispositionis
tabulæ sunt, qvibus Regnorum divisio facta inter filios
continetur. vid. *Eginhard. in vita Car. M. c. 33.* & *Petrus Pithœus*, qvi vitæ Caroli M. ab *Anonymo Engolismensi* de-
scriptæ, tabulas illas subjunxit pag. 283. seqq. it. *Goldastus Conflit. Imp. T. I. ad ann. 806. Otto Frising. Chr. l. 3. c. 6.*

VIII.

Extinctâ dein in Ludovico IV. Carolingorum stirpe,
necessitas electioni Conradi I. Francorum Ducis locum
fecit. Ex cuius consilio, terris opibusq; præpollens Hen-
ricus Saxonie Dux, universi Francici Saxoniciq; Populi
suffragiis, summam rerum potestatem adeptus est. vid.
Dithmarus Mersburg. l. I. & Cuspin. in ejus vita. Ab hoc
rursus per Ottones I. II. & III. successio continuata
fuit. Neqve vero minùs post illos successorii juris ra-
tio in Henrico II. Ottonis I. ex fratre Henrico Ri-
xoso Bavariæ Duce, nepote obtinuit, cujus svasu &
auctoritate, Conrado II. Salico, Imperium delatum,
*Sigebertus Gemblacensis & Wippo in vita Conradi me-
morant.* Idem *Wippo*, Conradum, filium suum Henri-
cum, *Principibus regni*, cum tota multitudine Populi id pro-
bantibus, successorem constituisse narrat. Henrici vero IV.
tempestate, turbato nimirum Reipublicæ statu, lex in
Comitiis Forchemensibus anno 1077. de tollenda in po-
sterum

sterum successione, & introducenda libera electione, à Principibus Cæfari infensis, auctoritate Romani Pontificis, qvi tum Gregorius VII. ante Hildebrandus datus, erat, lata dicitur: cujus rei auctor est *Bruno, in historia belli Saxonici*, Scriptor synchronus quidem, sed partium studio deditus. Præterquam vero, quod lex ista, non ab universis Imperii Ordinibus, nec nisi a rebelli-bus, instinctu Pontificis, cui nullum in eam rem pondus erat, lata fuit, etiam filius Henricus V. a Patre jam ante designatus, succesit. Quo sine prole defuncto, quanquam pristina succedendi jura, magis magisq; immunita, maximis in Republ. turbis occasionem dederunt, nondum tamen omnis antiquus succedendi ordo, penitus convulsus fuit. Lotharium enim II. qvi post Henricum V. Imperio præfuit, statim iterum excepit Conradus, Agneta, Henrici IV. filia, & Henrici V. sorore genitus. Post quem licuit Friderico I. Conradi III. ex fratre nepoti, Henricum VI. successorem sibi nominare, cujus itidem filius Fridericus II. consilio Patris, & consensu Principum, summæ rerum admotus legitur apud *Abbatem Ursperg.* & *Ottонem de S. Blasio c. 45.* Maximè quidem omnium Henricum VI. de extorto Cæsaribus per vim Procerum & atrocitatem Pontificum, jam inde ab Henrici IV. temporibus cœptam, reducendo successorio jure, sed irrito conatu, opponentibus se Saxonæ Principibus, laborasse tradit *Gobelinus Persona in Cosmodrom. c. 61.* qvi Auctor à Proavo meo b. m. è MSCto erutus primùm, Scriptori-bus Rerum Germanicarum à venerando DNO. PARENTE 3. voluminibus editis, insertus est. Excepit Friderici II. tempora, exitiosum & prope fatale Germaniæ Interregnum; cujus potissimum tempestate, translata à Principibus & Optimatibus universis, vel saltem plerisq;

risq; ad Septemviros plena Imperatorum creandorum potestas fuit, sumtiq; post Rudolphum Habsburg. non ex una domo Cæsares, Germaniæ præfuerunt.

IX.

Id tamen maximum hodie Augustæ Austriacæ dominus felicitatis argumentum est, qvod post inductum firmatumq; per Aureæ Bullæ sanctionem liberrimum eligendi modum, haetenus pluribus uno seculis, perpetua nec interrupta serie, Rectores Imperio dederit. Cujus tamdiu continuatæ quasi possessionis causam, cùm à potentia ditionumq; amplitudine, qvâ reliqvos omnes Germaniæ Principes antecellit, tum ab eo, qvod ipsius terræ velut murus aliquis immanitati Turcicæ oppositus sint, rerum Germaniæ periti repetunt. Nisi autem admodum fallor, multum qvoq; prudentia Austriacorum rem juvit, vivi enim plerique in Domo sua successores qvæsi-verunt, ne post fata ad aliam Gentem Imperii titulus temere devolveretur. Exempla in Maximiliano & Ferdinandō I^{mis}, Maximiliano & Rudolpho II^{dis}, Ferdinandis III. & IV. ac nuper admodum in Divino Principe JOSEPHO superius & hodiernum seculum tulit, qvos Parentibus aut Fratribus Imperatoribus vivis, indubitatos Imperialis dignitatis successores, Imperium vidit. Qvanquam vero in tantum vires illius Domus creverunt, ut eripi invitæ Imperium sine summo discrimine nequeat, nequaquam tamen exinde credendum, augustam hanc dignitatem, ad Austriacos Principes, debito qvodam jure & succedendi lege pervenisse. Qvippe, constat antiqua eligendi libertas, cautumque publicis Imperii legibus est, ne qvid electionis juri, consuetudinis hujus observantia admatur. *Capit. Leopold. art. 36. & Josephi art. 35.* allegasse sufficiat.

X. Di-

Diximus, qvibus modis olim, & nunc continuatum Imperium sit, veniendum jam ad propositum est, dicendumq; prius de nomine, qvo appellari consueverunt, qvi Imperatoribus adhuc vivis successores eliguntur. Sane, ut qvondam, ita & hodie qvoq; successores Regnorum diversa ab ipsis Imperantibus nomina tenent: atq; apud Romanos qvidem, Cæsar maxime appellabatur, qvi vivo adhuc Augusto, spei succedendi capax erat, hunc verò nostris institutis, nostroq; loquendi more, vocamus Regem Romanorum.

XI.

Interim negari nequit, novam hanc, & Aureæ Bullæ, ac vetustioribus Scriptoribus hujus vocabuli ignoratam significationem esse; neqve enim Aurea Bulla, aut monumentum ullum antiquius de eo Rege Romanorum loquitur, qvi in oppositione ad Imperatorem vivum, talis dicitur, sed, qvoties Regem Romanorum ab Imperatore distinguit Aurea Bulla, priore appellatione eum notat, qvi nondum a Pontifice est consecratus, solus tamen rerum potitur, ab ipso Imperatore nihil nisi nomine differens. Non enim videntur illa Verba *qvotiescunq;* & *qvandocunq;* *casus Electionis Regis Romanorum emergerit*, ab Aurea Bulla adhibita, laxiore interpretatione ad alios casus, qvam ad Electionem vacante Imperio instituendam trahi posse. Id qvod contra Arumæum probe advertit *Limnæus lib. 2. Jur. Publ. c. 15. n. 26. seqq.* & in *Annotam. ad Capit. Ferdinandi I. n. 15. seqq.* At vero is, de quo nostra instituitur disquisitio, Imperatore adhuc inter mortales versante, ab Electoribus creatur, atqve cum Principibus Juventutis apud Romanos, Delphino Galliæ, Principe Asturiæ Hispaniæ, Principe item Walliæ in Britannia, a Clapmario III. Arcan. 10. aliisq;, comparatur: qvam tamen com-

B

para-

parationem non adeo congruam, nec in omnibus similem esse, accuratores notant.

XII.

Dum verò de nomine hoc qværi solet, num Regis Romani, an Regis Romanorum, vel, qvod quidam volunt, Regis Germanorum melior appellatio sit? non ad eò magnæ difficultatis ea res est. Qvod ad prius attinet, utrumq; sæpe, & Romanum, & Romanorum, sine discrimine dici solet, qvanquam Auream Bullam & accuratores Jurispublici Doctores, nomine Romanorum semper usos deprehendam. An autem Romanorum, qvām Germanorum, Rex, melius dicitur, ex Cæsaris titulo definiendum videtur. Ex qvibus enim fundamentis, ipse Imperator Romanorum dicitur, ex iisdem & Rex eorundem, is, qui certâ designatione ipsi successor constitutus, vocari potest. Dignitatem verò & auctoritatem Cæsaris Romani, consensu omnium Gentium accipit, qui a Germanis Imperator elititur, qvia æterno fœdere, Germaniæ Regibus, Cæsareum urbis Romæ Imperium cessit. Posset tamen & Regis Germanorum appellatio forsitan satis confirmari ex iis, qvæ passim in libro de *Imperio nostro Romano-Germanico* clarissimæ memoriae Vir *H. Conringius* docuit, nisi recepti loqvendi moris rationem habendam esse consultissimum judicaremus, id qvod & rectè nos monuit *Limn. l. 2. de J. P. c. 15. num. II.* Prudenti verò consilio Maximilianus I. Germaniæ Regnum ab Imperio Romano in Titulis suis primus distinxit, indeqve servatam hanc consuetudinem ad nostra usqve tempora reperio.

XIII.

Intelligimus igitur Regis Romanorum nomine eum, qui vivo adhuc & superflite Imperatore elititur, ut absente illo, aut impedito, Imperii curam gerat, ipsog̃ rebus humanis erepto,

... 11. ...

erepto, sine ulteriore electione, plenam Imperatoris potestatem,
titulumq; conseqvatur.

XIV.

Eligitur Rex Romanorum eodem modo qvo Imperator, cuius actus, ut & Inaugurationis solemnia huc in medium adducere operæ pretium fore credo. Dabo autem brevitati operam, qvia cuncta passim ab aliis prolixe descripta reperiuntur. Illa vero in primis, qvæ ad augusta summorum Officialium munera spectant, accurate & ex instituto percensentur in exquisita *de Officialibus & Subofficialibus Imperii dissertatione*, qvæ sub præsidio Amplissimi Dn. PRÆSIDIS, (qvem ad incomparabilis doctrinæ laudem & publicam venerationem nominasse sufficiat,) hic loci a CAROLO WELZERO Respondente Nobilissimo fuit habita.

XV.

Postquam igitur Principes Electores, Regis Romanorum eligendi causa, in locum electioni destinatum convenere, Moguntinus Elector, accepto a Senatu Populoq; urbis de securitate præstanta juramento, diem electioni dicit, conventumq; cogit. Pridie ejus diei urbe qvam primum egredi jubentur peregrinæ personæ publicæ omnes, qvæ nec ad aulas Electorum pertinent, nec jurejurando Senati obstrictæ vivunt, eoq; ve facto, portæ civitatis omnes occlusæ & observatæ manent. Ubi vero constitutus illuxit dies, summo mane per horam integrum pulsantur campanæ, vestiq; ve eqvis ad Curiam Electores, in suis singuli conclavibus, depositis consuetis vestibus, habitum Electoralem induunt. Ecclesiastici togam ex panno coccineo rubro, pellibus ex albo & nigro variegatis, qvas Hermelinas vocant, suffultam & prætextam, gerunt; caput, pileo ejusdem panni, pellibusq; variegatis simili modo distinto, ornati. Seculares, pro panno togam &

B 2

pile-

pileum ex holoferico rubro confecta habent, cœtera habitus prioribus similis est. Sic induiti, eqvos ante Curiam concidunt, templum petituri, biniq; plerunq; ordine incedunt. Legati tamen absentium etiam anteriorum, præsentibus Eleætoribus loco cedunt. Inter processum Eleætoribus præsentibus, Mareschalli illorum hæreditarii, gladios vagina conditos, porrecto in altum mucrone, præferunt.

XVI.

Hoc ordine, ad templi ejus Urbis, in qva eleætio per agitur, primarii, portam, inter armatorum utrinq; circumstantes turmas, proveeti, simulatq; templum ingressi, chorum petunt, sedesq; suas occupant. Ex adverso, altaris Trevirensis sedet; a dextro latere Moguntinus, Bohemus, Bavarus & Brandenburgicus; a sinistro vero Coloniensis, Saxo & Palatinus conspicuntur. Admissis in chorum, qvibus illum ingredi fas est, qvorumque nomina e scheda recitantur, fores ejus sive per Mareschallum Pappenheimium, sive illius Vicarium, Metatorem Imperii, den Reichsquartermeister/ intus obserantur. Inchoatur deinde hymnus *Veni Sancte Spiritus* &c. qvo finito, Suffraganeus plerunq; Moguntini, (nam interdum Episcopus Würzburgensis, interdum alii hoc officio functi sunt) Missam celebrat, qva durante, Eleætores Protestantes, interdum in proximum facellum concedunt, interdum, cum muneric politici respectus id utique concedat, manent præsentes. Post Missæ sacra celebrata, Eleætores vel eorundem Legati, ad altare juramentum præstituri procedunt; cuius verba ex præscripto Aureæ Bullæ latina sunt, sed vernacula lingua proferuntur. Sententia hæc est, qvod per eam, qva Deo & Imperio conjuncti sunt, fidem, conceptis verbis religiose jurent, se creaturos esse Regem Romanorum

norum eum , qvem hoc munere dignum , & in primis
idoneum ac salutarem esse putent , quantum qvidem
possint judicio & ingenio conseqvi , nullo interveniente
pa&to , neq; largitione , neq; pr&emio , neq; pollicitatio-
ne. Primus Moguntinus , verba pr&elegente Trevirensi
(sic enim a plerisque proditum est , etsi *Justus Sinolt*
Schützius Collegii de Statu Rei Romanæ Exercit. 2. tb. 14. de
Coloniensi hoc pr&edicat) jusjurandum dat , qvem exci-
piunt reliqui , ac pr&esentes qvidem ante absentium Lega-
tos , pr&eunte Moguntino. Ecclesiastici , dextra pectori ad-
mota , coram Evangelio S. Johannis , Seculares , Evangelii
libro duobus digitis tacto , juramentum hoc concipiunt ,
ac Evangelici qvidem pro verbis , also helffe mir **Gott**
und alle Heiligen / qvæ Aurea Bulla requirere videtur ,
substituunt , als mir **Gott** helffe und sein heiliges Evange-
lium. Ac talem jurandi formulam , cum in Matthiæ Cæ-
faris Capitulationem quoque illata esset , omnes cæteræ
ha&tenuis servarunt. De Legatis sciendum , eos in suam ,
& illorum , a quibus mandatum accepere , animam jura-
re , hac fere verborum conceptione : Ich N. schwere in
meine / und des N. von dem ich Gesvalt habe / und geschickt
bin / Seele. Cum juramento pr&estito , in conclave ele-
ctionis secesserunt Electores , obserata janua , claves ejus
servandas Vice-Mareschallus suscipit , claves vero porta-
rum civitatis , in ipso conclavi conditæ jacent. Simul ac
quisque Electorum suum occupavit locum , gravi ser-
mone Moguntinus causas exponit , qvare Rege aliquo
Romano opus esse videatur. Rogat deinde , ut eant in
suffragia , colligitq; vota , ipse ultimo loco a Saxone in-
terrogatus , suum subnecit. Illud in ferendis suffragiis
peculiare est , qvod Legati absentium , ordinem Domino-
rum suorum observant : qvorum , si plures ab uno missi
fuerint , primarius tantum votum & sessionem habet.

Postquam igitur vel unanimi consensu, vel plurimorum suffragiis, designatus Rex est, dato rei feliciter peractae signo, Mareschallus fores recludit, jubenturq; intrare Cancellarius Moguntinus, cum duobus Notariis, & binis ex cuiuslibet Electoris curia consiliariis, testium loco futuri. Ablegatur posthæc aut Electorum aliquis, aut uniuscujusq; nomine Legatus proprius ad Imperatorem, significatum electionem esse factam, isq; simul rogatur, ut in conclave se conferre & electionem agnoscere, ratamq; habere velit. Precibus annuens Imperator, electionis locum petit, ac postquam de iis qvæ gesta sunt, edoctus est, dato prius consensu, gratias Electoribus agit, tum qvod optime de Republica sentiant, tum qvod suam familiam tam benevolo prosequantur affectu, polliceturq; se porro operam daturum, ne tantæ Imperii moli gubernandæ, Filius impar existat, nec Electores olim tam propensi in se suosq; studii pœniteat. Tum ad Filium præsentem conversus, eidem gratulatur honorem, deq; grato erga Electores animo admonet. Excipiunt Regem votis quoque & gratulationibus Electores, qvibus ipse pro collata Imperii dignitate gratias agit, affectumq; perpetuum spondet. Interea temporis, jussu Moguntini Electoris, Cancellarius illius, instrumentum authenticum, de toto electionis actu, adhibitis Notariis & testibus conficit, signandumq; Electoribus præsentibus & absentium Legatis tradit. Proximum est, ut in Capitulationem, qvæ plerumque ante electionem legenda & perpendenda futuro Regi Romanorum traditur, fidem suam is obstringat, ergo deducitur ad altare, qvod est in conclavi erectum, ac jurejurando, tatto sacro Evangelio, se omnia sollicite servaturum confirmat.

XVIII. Qvam-

XVIII.

Qvamprimum e facello egressus fit , multa lætitiae eduntur signa , pulsantur campanæ , exploduntur machinæ bellicæ , tubarumq; & tympanorum sonitu totum templum personat . Interea electus novus Rex , ad altare delatus , positis genibus ad orandum se componit . Consistunt utrinque ad latera precantes Electores , finitisq; precatiunculis , qvibus Deo auspicia Imperii commendantur , ad sellam altari impositam , manum Electoribus commodantibus , conscendit , in illaq; confidet . Tum vero canitur hymnus Ambrosii , *Te Deum laudamus* &c. Post eum decantatum , Rex altare deferens , medios inter Electores , per chorum , ad pegma vel theatum qvoddam , in templo excitatum , procedit , ibiq; Præpositus Capituli Moguntini , aut aliis , prout rerum conditio id fert , Populo electum denunciat , a quo votivis acclamationibus exceptus , tandem splendido Elec torum Principumq; comitatu ; in palatium rursus deducitur .

XIX.

Cum sic electus est Rex Romanorum , id jam unum restat , ut solenni ritu inauguretur , qyapropter ea , qvæ ad panegyrin hanc reqviruntur , breviter commemora bimus . Scilicet , ante omnia huic ceremoniæ sacræ dies dicitur , cuius & Noribergæ ac Aqvisgrano Urbibus , significatio fit , ut Clinodia Imperii sibi concredita , submittere queant . Afferunt hæc selecti Legati , qvæ abstis , cum prospera lux coronationis exorta est , accepta ; Electores Ecclesiastici mensæ juxta altare imponunt , ipsi interea , deposito electorali habitu , Regem in Pontifica libus suis exspectant . Seculares vero Electores , habitu electorali induiti , ad palatium sive aulam Regis eqvis con ten-

rehdunt, ubi simul una cum Consiliariis Electoralibus, Principes, aliique Imperii Proceres, nec non Legati exterorum Principum, magno numero conveniunt. Postquam ii, qvos adesse oportet, convenere, processionis ad templum fit initium, ac Ministris Principum præcedentibus, Bavarus cum aureo pomo in medio, Brandenburgicus cum sceptro a dextra, a sinistra cum corona Palatinus, eqvites conjuncti seqvuntur; Elektor vero Saxonie solus cum evaginato gladio, Vicario vaginam præferente, Imperatorem præcedit, qvi tandem sub uranisco, a sex vel octo senatoribus loci portando, sequitur.

XX.

Ad templum ubi hoc ordine pervenerunt, Consecrator habitu Episcopali indutus, & insula seu tiara Episcopali caput tectus, cum cæteris Elektoribus Ecclesiasticis, magnoq; cœtu Clericorum, e qvibus unus pedum Episcopale, aliis librum Evangeliorum, itemq; aliis thuribulum gestant, qvidam vero sigilla Imperialia e bacillo argenteo dependentia præfert, in limine Imperatorem Regemq; excipit. Dehinc Rex primo ad Oratoriæ sedem ducitur, ubi in genua provolutus, preces peragit, postea, ad altare, ut benedictionem accipiat, contendit, tandemq; regale solium, ante altare positum, pannoq; aureo ornatum, & sub regio tegumento collocatum, consendet. Incipit hinc officium Missæ, legiturq; Litania; Rex interim ad Oratoriæ subsellia, a cæteris Ecclesiasticis deductus, in genua procumbit humi, precaturq; DEUM; qvibus precibus finitis, insula redimitus, & pedum manu tenens Consecrator, ex novo Rege qværerit, *Velitne Christianam & Catholicam religionem retinere; Christianam & Catholicam Ecclesiam defendere; Justitiam administrare; Imperium*

rium augere ; viduas & pupilos tueri , & deniq; Romano Pontifici debitum honorem exhibere , ac in summa se ita gerere , ut non ad suam , sed totius populi utilitatem regnare , præmiumq; benefactorum suorum , non in terris , sed in cœlo exspectare videatur ? Ad qvæ , ubi , se ita velle , Rex respondit , jureq; jurando , omnia se ista constanter servaturum confirmat , Consecrator ad præsentes Principes , Populumq; universum conversus , perconctatur : *An vicissim secundum Apostoli præceptum , jubentis omnem animam subditam esse debere Magistratui , huic Regi fidem & obsequium deferre , ejusq; Regnum confirmare parati sint ?* his pariter ab iis promissis , Consecrator Regis verticem , cervicem inter utrumque humerum , pectus , & dextrum brachium , manuumq; volas , oleo catechumenorum inungit , additis ad singula , verbis : *Ungo Te in Regem oleo sanctificato , in nomine Patris , Filii , & Spiritus Sancti .*

XXI.

Praeterea unctione , Rex e sacrario , in quo oleum ipsi abstergitur , prisco Imperiali cultu ornatus , ad altare revertitur , ubi Consecrator strictum ei Gladium porrigit , his verbis : *Accipe Gladium , per manus Episcoporum , licet indignas , vice tamen & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas , tibi regaliter impositum , nostræq; benedictionis officio , in defensionem Sanctæ DEI Ecclesiæ divinitus ordinatum , & esto memor , de quo Psalmista prophetauit , dicens :* *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime , ut in hoc , per eundem , vim æquitatis exerceas , iniquitatis molem potenter destruas , & Sanctam DEI Ecclesiam , ejusq; Fideles , propugnes ac protegas , nec minus sub fide falsos , quam Christiani nominis hostes exerceas , viduas ac pupillos clementer adjuves ac defendas , desolata restaures , restaurata conserves , ulciscaris injusta , confirmes bene disposita , quatenus hoc*

C

agen-

agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiae cultu egregius,
 cum Mundi Salvatore, cuius typum geris in Nomine, sine fine
 merearis regnare; qui cum Patre & Spiritu Santo vivit &
 regnat in secula seculorum, Amen. Cum vero Consecrator
 dicit, Accingere Gladio tuo Eccl. Gladium vel ab ipso, vel
 ab alio, in vaginam reconditum, Electores Seculares lateri
 ipsius accommodant. Si qui tamen absunt, Legatis eo-
 rum aut Vicariis, socias jungere manus non licet. Annu-
 lum porro digito inferit, addita verborum formula:
Accipe Regiae dignitatis annulum, & per hunc catholicæ fidei
cognosce signaculum, & ut hodie ordinaris Caput & Princeps
Regni & populi: ita perseverabilis audor & stabilitor Chri-
stianitatis & Christianæ fidei fias, ut feliciter in opere cum Re-
ge Regum glorieris, per eum, cui est honor, & gloria, per in-
finita secula seculorum. Sceptrum deinde dextra, Globum
aureum sinistra gestandum tradit, ita inquiens: Accipe
virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios,
& terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsisq; ma-
nus porrigere: disperdasq; superbos, & eleves humiles, &
aperiat tibi ostium Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui
de se ipso dicit: Ego sum ostium, per me si quis introiverit, sal-
vabitur. Et ipse est clavis David, & sceptrum domus Israel,
qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, sitq; tuus du-
dor, qui educit vindictum de domo carceris, sedentem in tenebris
& umbra mortis: & in omnibus sequi merearis eum, de quo Psal-
mista David cecinit: Sedes tua Deus in seculum seculi, vir-
ga æquitatis, virga regni tui: & imitando ipsum, diligas justi-
tiam, & odio habeas iniquitatem: quia propterea unxit te Deus,
Deus tuus, ad exemplum illius, quem ante secula unxerat
oleo exaltationis, præ participibus suis, JESVM CHRISTVM
Dominum nostrum, Eccl. Posthæc, Regium diadema Capiti
imponunt Ecclesiastici Electores quidem omnes, Con-
secra-

secratoris autem solius est dicere : *Accipe Coronam Regni,*
quæ, licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo
imponitur, quamq; sanctitatis gloriam, & opus fortitudinis ex-
presse signare intelligas, & per hanc te participem Ministerii
nostri non ignores ; ita, ut sicut nos in interioribus Pastores,
Rectoresq; animarum intelligimus : ita, & tu, in exterioribus,
verus DEI cultor, strenuusq; contra omnes adversitates Ec-
clesiae Christi defensor, Regnq; tibi a DEO dati, existas, &
per officium nostræ benedictionis, vice Apostolorum, omniumq;
sacerdotum suffragio, tui regiminis commissi utilis executor, re-
gnatorq; proficuus semper appareas, ut inter gloriosos athletas,
virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis co-
ronatus, cum Redemptore & Salvatore Domino nostro JESU
CHRISTO, cuius nomen vicemq; gestare crederis, sine fine glo-
rieris ; qui vivit, & regnat, & imperat Dominus, cum DEO
Patre, in unitate Spiritus S. per omnia secula seculorum.
Tandem pallium sive paludamentum Caroli M. induitur, qvo ornatus, porrecto Electoribus Secularibus, vel
corundem Vicariis, Sceptro & Pomo, ex sede precatoria
surgens, moxq; a Trevirensi & Colonensi ad altare per-
ductus, iterum jurat, se boni Principis Officium, qvæ-
que Christianum Regem deceant, non neglecturum.
Sumto postmodum Sacramento Cœnæ, Electores Ec-
clesiastici, præcedentibus Secularibus, in theatrum, re-
gia magnificentia exornatum, ipsum comitantur, inque
solium Regium collocant. Nec mora, Moguntinus suo,
& Collegarum nomine, Regi gratulatur, totumq; Impe-
rium, cum omnibus ejus membris, ei rursus qvam dili-
gentissime commendat. Hoc officio defunctus, cum
reliquis Ecclesiasticis theatro descendens, chorum ingre-
ditur, ibique Pontificalia vestimenta exuit, qvod idem
reliqui qvoq; faciunt. Rex interim in solio suo perma-
net,

net, & præsentibus Electoribus Secularibus, qvosdam primariæ nobilitatis, pedibus suis advolutos, leviter sinistro humero ense Caroli M. tribus vicibus percutit, Eqvitesq; Auratos creat, atqve tradito postmodum Electori Saxoniæ Gladio, ex theatro descendens, in Solium ad altare extructum, se confert. Interea duo Canonici Aqvisgranenses, Regem adeunt, eumqve præstito jumento, certis qvibusdam solennibus, in Canonicum Ecclesiæ Aqvisgranensis, ex veteri more, recipiunt.

XXII.

Pera&ta omni Inaugurationis panegyri, Rex, Corona Imperiali, & reliquo ornatu vetusto indutus, cum Electoribus, & cætera comitantium multitudine, eodem qvo venerant, ordine, per pontem ligneum, panno rubro aut variegato obductum, & floribus herbisqve conformatum, Curiam pedestre repetit. Qvo delati, ubi in separatis singuli conclavibus, requiem nonnihil captarunt, fenestras Rex cum Electoribus occupat, tum prospectante illis, primus Elector Saxoniæ, Imperii Archimareschallus, sive ejus Vicarius, officio satisfactus, eqvum in Curia, sive loco, ubi convivium celebratur, conscendit, qvo in avenæ acervum haud procul effusum, tantæ altitudinis, ut usqve ad pectus vel sellam equi pertingat, vectus, mensuram argenteam de eo implet, & radio complanatam, vel ipse statim iterum effundit, vel Pappenheimio Vicario, ut id faciat, tradit. Fixo postmodum in avenæ cumulum radio, traditoq; modiolo in manus Vicarii, ut avenam distribuat, ipse eundem, in qvo eqvum conscenderat, locum repetit. Cæterum, non patitur plebis, direptioni inhiantis, impetus, ut munere suo Vice-mareschallus recte fungatur, hinc continuo post Electorem, ipse qvoqve discedit, avenam

nam plebi in prædam concedens, sibi vero servans men-
suram cum radio. Postquam Archi-Mareschallus mu-
neris sui partes explevit, Elector Brandenburgicus, Ar-
chi-Camerarius, aut ejus Vicarius, eqvo insidens, ad fo-
rum properat, ibiq; e mensa, in medio ejus strata, argen-
teas pelves, Malluvium nempe seu Pollubrum cum Gut-
turnio, itemq; Mantili accipit, indeq; in Curiam rediens,
Imperatori aquam manibus abluendis ministrat; Seculari-
bus Electoribus reliquis, si velint, aut quibusdam ex Prin-
cipibus, qui adsunt, mantile tenentibus. Eqvum dehinc
cum Gutturnio & Malluvio, itemque Manutergio Sub-
Camerarius Princeps de Hohenzollern refert. Excipit
hunc Archidapifer Imperii, hodie Bavariæ Elector, vel
ejus Vicarius, qui similiter eqvo consenso, Culinam pe-
tit, indeq;, vel e mensa, prope culinam, in foro publico
stratam, fercula de bove, qui biduo aut triduo ante in-
augurationem tota urbe circumductus, integer variis
animantibus farctus assatur, in patinas sive scutellas ar-
gentreas imposita sumit, mensæq; Imperatoris, præeun-
te majoris splendoris causa, olim quidem ipso Archima-
reschallo, nunc fere Vicario cum scipione, infert, ipso
bove furentis turbæ arbitrio reliquo. Instrumenta au-
tem officii, & eqvum, Vicarius, Comes de Zeil, sibi vin-
dicat. Archidapifero munere suo rite defuncto, ex no-
stræ ætatis constitutione, succedit Imperii Archithesau-
rarius, Elector hodie Palatinus, vel ejusdem Vicarius,
nummosque aureos & argenteos, Regis effigiem, aut
Emblema, annumq; & diem Coronationis referentes, ex
loculis sibi a famulo ad latera evinte, subministratis, eqves
in publicum hinc inde spargit: Integrum deinceps mu-
nus, disseminando in confertissimam hominum turbam
nummorum reliquos, Vice-thesaurarius Comes de Sin-

zendorf exseqvitur ; qvi & ipse muneris præmium, eqvum, cum aliquva nummorum parte, more cæterorum Sub-Officialium refert. Ultimo tandem loco, muneri suo se accingit Rex Bohemiæ, Archipincerna Imperii, vel ejus Vicarius. Atqve ipse qvidem Rex, super eqvo, sive Coronam capite gestans, sive pileo Electorali tectus, scyphum argenteum, auro fere hodie obductum & cooptatum, viñoq; aqua mixto plenum gestans, ad locum, ubi convivium peragit, pergit, ibiq; ab eqvo descendens, eum Regi Romanorum ad bibendum porrigit. Eqvum vero cum scypho, Vice-Pincerna, Comes & Dominus de Limburg sibi retinet.

XXIII.

Tandem, ubi solennes, augusti muneris functiones, pro se qvisq; Electorum exsecutus est, regium paratur Convivium, oneratæq; lautissimis cibis mensæ, Imperator accumbit, cujus benedictionem, Electorum Ecclesiasticorum is peragit, qvi prior ex illis fuit consecratus; finitisq; precibus, ArchiEpiscopus, in cujus Diœcesi paneyris peragit, Collegis utrinque stipatus, sigilla Imperialia ab argenteo baculo, 12. marcarum ponderis, cujusq;, pretium ex æqvo omnes persolvere tenentur, pendentia, ante Regem in mensa reverenter deponit. Qvæ, ubi ArchiCancellario Rex restituit, is majus sigillum, collo appensum, ad finem usq; convivii, ac donec in ædes suas revertitur, assidue gestat. Deinde ex ædibus illud per aliquem de suis, ViceCancellario, Imperii super eqvo transmittit, cujus, ut & bacilli argentei, ipse evadit Dominus. Post Imperatorem, Electorum qvisq;, ad mensam suam, exquisito pariter ciborum apparatu instrutam, aureisq; & argenteis vasis atqve iuraniscis, quo tamen Trevirensis mensa plurimum caret, conspicuam, asfidet;

asfidet; necque minus hodie absentium Electorum mensæ, utut convivis epulantibus vacuae sunt, abacis ornatae, patinis coopertis, tribus ut plurimum, refertæ, uraniscis obteatæ, ministrorumq; & apparitorum turba circumdatae conspicuntur. Mensæ vero Electorum, ex moderna consuetudine, ita locantur, ut Regia, cui Imperator una, si præsens est, accumbit, tribus pedibus, & ea, cui Augusta asfidet, uno pede, sint minus elevatae, Principum vero mensas, uno vel duobus pedibus, altitudine superent. Durantibus epulis, qvæ sumtibus Cæfaris, excepta supelleatile argentea, qvibus Electorum mensæ splendent, parantur, solet ex Fonte ante curiam saliente, & Aquilam bicipitem plerunq; impositam habente, vinum rubrum & album profluere, panisq; è culina similagineus projici. Peracto convivii splendore, Regem omnes frequenti comitatu in Palatum deducunt, acceptaq; abundi licentia, suam qvisque domum divertit,

XXIV.

His ita expositis, videndum nunc, ob qvas causas potissimum Rex Romanorum vivo Imperatore eligi possit. Sane quidem, vix mutabilis semper ad quemlibet fortunæ iustum mortalium conditio, rerumq; subinde emergentium vicissitudines, qvibus etiam summa Imperia subjacent, certi aliqvid definire permittunt. Ad præcipua tamen publicæ & communis utilitatis momenta spectat, ut successor in Imperio certus sit, neve rebus novis ansam det Cæfaris obitus, pravæq; aliorum, Imperio inhiantium, spes cohibeantur. Tum etiam, ne absente aut impedito Cæfare, desit, qui curam Reipublicæ gerat, ne qvid illa detrimenti capiat. Sunt, qui electionem hanc, non tam ad securitatem Regni, qvam ad arcana Domus, & stabiendum in Familia regnatrice regimen,

gimen, pertinere judicant. At enim vero optime per eandem Reipublicæ tranquillitati, *Conringii ad Lampodium* iudicio consulitur, neque periculum aliquod perpetuæ eligendi libertati, a quasi hereditaria hac successione imminet, qvemadmodum supra th. IX. jamdum diximus.

XXV.

Cum in conventu Electorum Coloniensi, A. 1530. instituto, id ageret Carolus V. Imperator, ut Ferdinando Fratri, Regis Romanorum dignitatem impetraret, tales, ceu ex *Sleidano l. 7. Comment.* aliisq; discimus, fere causas allegabat: Se diversis Regnis atque populis imperare, neque posse continenter morari in Germania. Esse turbulentum admodum & periculose Orbis Christiani, præcipue vero Germaniæ Statum, propter disfidium Religionis, propter vim atque potentiam Turcarum, propter nuper excitatam seditionem, atque bellum Rusticanum, & qvia per Imperium multa inofficiose fiant, ac minus obseqventer. Fuisse quidem de Ordinum omnium voluntate & consilio, superioribus annis institutum Imperii Senatum, at non præstari illi eam, quam æquum erat, obedientiam. Eam ob causam, videri sibi prorsus necessarium, ut creetur aliquis sibi succenturiatus Romanorum Rex, velut alterum Imperii caput, qui sit & ingenio præditus, & vigilans, & industrius, & potens, & amans pacis atque concordiae, & rerum Imperii non imperitus, & omnino talis, cui ipse fidere, & in quo possit totus acquiescere. His autem dotibus ornatum, huic provinciæ sustinendæ magis aptum, non novisse se alium, præter Ferdinandum Fratrem, Hungariæ & Bohemiæ Regem, cuius etiam Regna atque Regiones, veluti murus quidam & propugnaculum, in totius Germaniæ salutem, furori Turcico objiciantur.

XXVI. Nu-

XXVI.

Nuper Augustissimus Imperator noster LEOPOLDUS, cum Augustæ Vindelicorum plerique Electores ipsi per se, una cum Saxonis ac Brandenburgici absentium Legatis convenissent, iis in unum congregatis, gravi æque ac disertissimo sermone prolixe ostendit, qvale quantumq; periculum Imperio Germanico a Galliæ Rege immineat; qvomodo ruptis pacis Neomagensis & Vicennialium Induciarum sacris conventionibus, multa in Imperio loca occuparit; ut seditionibus in Hungaria facem & ferrum prætulerit, ingentiq; sumtu eas aluerit; qvod Turcarum Dominatori qvieto, & de bello minimè sollicito, ad Imperium immenso exercitu temere invadendum, autor, svasor, adjutor extiterit; qvod munimenta invicta in solo Germanico construxerit; qvod Electores ad Rhenum qvatuor, Principesq; complures, prope ad incitas redegerit; atqve hæc omnia, eum tantum in finem, ut aut sibi, aut Delphino Filio, Imperiale dignitatem vindicet. His igitur tot tamq; atrocibus malis, nullum aliud remedium superesse, qvam ut Regis Romanorum creatione, ambitioni Gallicæ obex ponatur, & ut muricibus sternatur via, qva haec tenus ad summum rerum humanarum arbitrium, & Europæ Monarchiam, Ludovicus XIV. impigre graffari cœpit.

XXVII.

Qvod igitur non posfit modo, sed fas sit etiam, si Republicæ necessitas exigat, Regem Romanorum eligi, non qvidem dubitandum videtur; illud tamen expendendum est, cui de causis eligendi Regis Romanorum disponendi potestas competit, utrum solis Electoribus, an vero reliquis etiam Imperii Ordinibus? Certum equidem est, nullam ea de re a Ferdinandi I. electione ad

D

tem-

tempora usqve Pacis Westphalicæ motam Electoribus
controversiam fuisse, Sed in Instrum. Pac. Osnabr. art. 8.
§. 3. habeantur &c. inter alia constitutum est, qvod in
proximis Comitiis, ex communi Statuum consensu, de electione
Romanorum Regum agi & statui debeat; qvæ tamen res
eventu caruit. Hincq; denuo Ordines Circuli Saxonici
Infer. An. 1652. Lunæburgi congregatos, ursisse reperio,
ut, ceu æquitati congruum, de re ad communem salu-
tem pertinente, in commune consulatur. Ipsa verba ex
Contin. Theat. Europ. ad An. 1652. p. 306. adscribere lubet:
Diesweil an Erwehlung eines Römischen Königes den sämt-
lichen Ständen hoch angelegen / damit das Römische Reich
in seiner Form und legibus fundamentalibus unverrukt
bleibe / so ist nicht unbillig / wann ben Lebzeiten eines Rö-
mischen Kaisers ein Römischer König zu erwehlen / daß des-
sen Ursach / sämtlichen Ständen eröffnet / und mit ihnen zu
Rathe gestellet werde. Atqve hinc Auctor Monitorum
secundum qvæ formanda perpetua Capitulatio, &
qvæ *Tomo XI. Diarii Europæi 1664.* inserta habentur,
censuit, eam formulam, qvam mox Thesi seqventi in-
tegram dabimus, emendandam, & his potius verbis
concipiendam esse: Wir sollen und wollen --- die Thur-
fürsten / ihre Nachkommen und Erben/ zu jeglicher Zeit bei
ihrer freien Wahl eines Römischen Königes / nach Inhalt
der guldenden Bull / oder auch bei Lebzeiten eines Römischen
Kaisers / mit / oder ohne desselben Consens / so oft und fern
es Thurfürsten / Fürsten und Stände dem H. Römischen
Reich nothwendig und nützlich befinden.

XXVIII.

Cæterum disquisitioni illi, utrum ad electionem Re-
gis Romanorum consensus Imperatoris sit necessarius,
& an invito etiam adjungi is possit? publicis legibus hoc
nostro

D

nostro seculo omnis dubitandi materia præcisa est , ut
mirari subeat, nonnullos Juris Publici Doctores in nega-
tivam sententiam abire. Cum enim Rudolphus II. cu-
jus tempestate orta hæc primum controversia fuit , in
electionem Mattheiæ fratri , qvi reluctanti adjungeba-
tur, qvamvis ab Electoribus rogatus , ægre consentiret,
(ceu liqvet aus Ranser Rudolphs Bescheid und Resolu-
tion über die Wahl eines Römischen Königes / apud Gol-
dastum Parte 2. der X. S. p. 388.) ut in posterum omnis
difficultas tolleretur, expresse Mattheiæ Cæsaris Capitu-
latione §. 35. cautum fuit , ut Electoribus , Regis Roma-
norum vel in Cæsaris adjumentum, vel alia Imperii neces-
sitate aut utilitate exigente, vivo Cæsare eligendi libertas,
vel cum consensu ejus , vel sine illo , siqvidem citra suffi-
cientes causas recusaretur, integra & illibata esset, qvæ tal-
lis est : Verba sunt : Wir sollen und wollen die Thurfürsten/
Ihre Nachkommen und Erben / zu jeder Zeit / bei ihrer
freien Wahl eines Römischen Königes / dieselbe/ so oft sie
es einem Ranser zu Behülf/ oder sonst dem Heil. Römi-
schen Reich nothwendig und nützlich befinden / auch bei
Lebzeiten eines Römischen Kansers / mit / oder wann der-
selbige auf angelegte Bitte der Thurfürsten ohne genugsame
erhebliche Ursachen / versweigert werden sollte / ohne eines
regierenden Kansers Consens vorzunehmen/ geruhiglich blei-
ben / und ganz unbedrängt lassen. Non dissimulandum,
repeti eandem hanc formulam , verbis qvasi iisdem in
Ferdinandi II. art. 34. Ferdinandi III. art. 38. & Ferdi-
nandi IV. art. 36. Capitulationibus ; at, in Capitulatione
Augustissimi LEOPOLDI nostri , ab antiqua sermonis
ista conceptione recessum est, notabili discrimine ; omis-
sa enim fuere verba , so oft sie es einem Ranser zu Be-
hülf/ sive , so oft sie es einem Ranser zu Behuf / ceu le-

gunt Ferdinandi III. & IV. Capitulationum exempla :
 qvin & amplius resectum totum illud : Wo derselbig
 (Consens) auf angelegte Bitte der Thurfürsten / ohne
 genugsame erhebliche Ursachen verweigert werden solte ;
 contra, post verba veterum Capitulationum Römischen
 Königes/ insertum , nach Inhalt der guldnen Bull / und
 dieselbe jedesmal und auf alle Fäll / wann sie es vor nöthig/
 und zu Erhaltung der Grund-Gesetz und dieser Capitula-
 tion / oder sonstem ic. unde sic habet contextus integer :
 Und insonderheit sollen und wollen Wir --- die Thurfür-
 sten / ihre Nachkommen und Erben / zu jeglicher Zeit bei
 ihrer freien Wahl eines Römischen Königes / nach Inhalt
 der guldnen Bull / und dieselbe jedesmal / und auf alle
 Fäll/ wann sie es vor nöthig/ und zu Erhaltung der Grund-
 Gesetz / und dieser Capitulation oder sonstem dem Heil. Rö-
 mischen Reich nothwendig und nützlich befinden / auch bei
 Lebzeiten eines Römischen Kaisers / mit oder ohne dessel-
 ben Consens, vorzunehmen / geruhiglich bleiben und ganz
 unbedrängt lassen. Verisimile autem fit , emendatione
 ista , & Electores , & Imperatorem pariter suis rebus
 consulere voluisse ; atque Electores quidem , ut Regis
 Romanorum etiam invito Cæsare eligendi arbitrium tan-
 to magis sibi vindicarent ; Imperatorem vero cavisse,
 ne se invito electus, pro Vicario sibi obtrudi possit.

XXIX.

Convenit Rex Romanorum cum Imperatore, ratione
 dignitatis ferè in omnibus, qvæ Imperatori competunt.
 Gaudet enim instar Cæsaris, Titulo Majestatis. Rec. Imp.
Wormat. de Anno 1535. passim. Præcedit omnes Reges
 Principesq; , ceu infra probatum dabimus. Competit
 ei titulus allezeit/ sive zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/
Rec. Imp. Spir. de Anno 1542. in principio; Rec. Imp. Norib.
Anni

Anni 1542. in pr. & pluribus aliis ; latina etiam lingva, non modo Augustus Libr. d. Pac. Const. verum etiam semper Augustus dicitur: ut in Sigillo Ferdinandi III. Roman. Regis. Utitur Aurea Bulla, Capit. Ferdinandi III. Audit porro Caput Imperii, Rec. Imp. de Anno 1555. §. 66. und im Fall / R. I. de Anno 1564. §. 5. So unterstinden sich/ & in Literis Caroli V. ad Commissarios Augustanos legitur, nach uns im Heil. Reich das obriste Haupt. Dicitur qvoqve una cum Cæsare Advocatus Ecclesiæ Christianæ. Qvin, ut generalis habet Doctorum regula, Rex Romanorum omnia potest, qvæ Imperator; licet non omni tempore, nec suo semper nomine.

XXX.

Manet tamen adhuc inter utrumq; differentia ; Rex Romanorum electus, in sigillis & insignibus Aquilam dunt taxat simplicem, at Imperator bicipitem gerit. Imperator Regi Romanorum tribuit Titulum Seiner Liebden Rec. I. Anni 1544. §. und diesveil aber/ Rex Romanorum vero Imperatori adscribit Majestatem, Rec. Imp. Norib. de An. 1542. in princ. & alibi passim. Qvin, & Dominum suum appellat, cuius rei vel idem Recessus Imperii Noribergensis, praeter documenta alia innumera, fidem rursus facit. Interdum tamen conjunctim Titulus Liebden & Majestat Cæsari a Rege Romanorum tributus reperitur, uti in partis I. Ordinationis Cameræ præfatione. Porro, neqve Regi Romanorum titulum Invictissimi, qui Imperatoris proprius, temere tributum legas ; neqve Cameræ Spirensis Judex & Assessores, aliquique Camerales, jurejurando fidem suam Regi Romanorum, quemadmodum Imperatori, adstringunt, ipsis Ordinationibus Cameralibus manifestum ejus rei facientibus indicium. Denique, quod maximum est, Cæsar nunquam Regis Romanorum, sed suo

suo solius nomine, Imperii negotia expedit; Rex vero non Imperatoris modo nomine cuncta peragit, sed & Commissarios sibi a Cæsare junctos ferre tenetur. Plura huc facientia *Limn. ad Capit. Maximiliani II. art. 28.* si consulatur, suppeditabit.

XXXI.

In quæstione, an Regi Romanorum Majestas competit? utri contradictionis parti, ob hinc inde gravissimorum Virorum auctoritates, accedendum sit, pene incertus haereo. Quidam & argumentis se fentur. Qui Majestate illum decoratum volunt, haec potissimum afferunt. Primo, quod is titulo Majestatis gaudet, & ei Majestas passim in Imperii Recessibus tribuatur: ceu patet ex *Recessus Imp. August. 1555. & Recessus Spirens. 1557.* inscriptionibus: Abschied der Römischen Königlichen Majestät. Deinde, quod utatur plenitude potestatis. *Recess. Imp. 1542.* §. Wird sich aber jemand ibi: Sezen und ordnen auch darauf / aus rechten Wissen/ von Römischen Kaiserl. und Königlicher Macht und Voll- kommenheit. Accedit, quod in Ipsum possit committi crimen læse Majestatis. Qui aliter animati sunt, dicunt falli adversæ sententiæ Patronos, vocabulo Majestatis, quod non potestatem solum, sed & dignitatem saepe significat. Ad cætera respondent, plenitude potestatis, non ex se, sed mandato Imperatoris, Regem Romanorum uti, cum certissimum sit, ipsum perpetuam & absolutam potestatem non habere, sed jura Imperatoria exercere tum demum, quoties Imperator absens, vel aliis impeditus negotiis est. Ad haec, crimen læse Majestatis committi quoque in Electores Imperii, quibus tamen propria & absoluta Majestas, omnium confessione non competit: Sed, de quibus omnibus prolixius agit

Myle-

Mylerus ad Rumelinum in A. B. p. 3. disp. 2. th. 6. Cæterum, omnis difficultas ex ambiguitate vocabuli Majestatis provenire videtur, qva explicata, evanescet illico. Qvod si enim cum Gabriele Schwedero V. C. in *Introduc. Juris Publ. parte generali c. 2. §. 19.* eam dicamus Majestatem, qvæ infert summam dignitatem, externum splendorem, summum honorem, reverendam amplitudinem, nemo tam perficitæ frontis erit, qvi hanc Regi Romanorum inesse, eat inficias. At vero si Majestatem, summum rerum arbitrium, jus plenum imperandi, legibusq; cunctis solutam, inq; omnes subjectos universalem & irrevocabilem potestatem definiamus: sive, si verbis viri longe eruditissimi Joh. Henrici Bæcleri ex*i. 2. Instit. Polit. c. I.* qvanqvam non simili contex- tu, de promitis, dicamus, Majestatem esse potestatem summam, qvæ aliam non agnoscit superiorem nisi divinam; a qva cæterà omnia pendent, & ad qvam referuntur in civitate, sive in imperandi parendiq; ordine; qvæ vices D E I cuncta gubernantis, in certo cœtu refert; qvæ legis munus, omnem harmoniam concinnantis, vivo qvodam præsentissimoq; ministerio obit; qvæ non impeditur, non suspenditur, non judicatur ullo humano arbitrio, aut vi cogente, nisi per arma & scelus; qva nihil veneratione sanctius, nihil fastigio in rebus humanais augustius habetur; in summa potestatem, supra qvam & contra qvam, & sine qva, nihil potest lex aut jus civitatis qvam regit: talem, inq; qvam, si Majestatem accipimus, longe aliter de Rege Romanorum sentiendum fuerit.

XXXII.

Conveniens est, post ea, qvæ de Majestate diximus, videre, quis locus Regi Romanorum inter cæteros Orbis Reges competit? Sane, cum Rex Romanorum certa designatione, ad Imperii successionem proiectus, id

sevp

con-

conseqvatur , ut eadem fere , qva Imperator dignitate polleat , ipsiq; sine novo Procerum consensu aut ele^tione succedat , optimo jure proximum a Cætare locum sibi vindicat , cæterisq; Imperantibus dignitate superior habetur . Datum quoq; hunc ipsi locum esse in Ceremoniali Pontificum libro , qvem Paris de Grassis Magister Ceremoniarum tempore Julii II. Pontificis anno 1504. conscripsit , legimus , ubi hæc series reperi-
tur : Imperator Rom. Rex Romanorum , Rex Galliæ , Rex Hispaniæ &c. Mota tamen Regi Romanorum a Galliæ Rege Anno 1533. controversia est , qvæ post-
modum ab utraq; parte inter Scriptores disputata fuit . Argumenta , qvæ pro Rege Galliæ afferri solent , habet Limn. l. 2. de J. P. c. 15. n. 44. ad qvæ respondet Crusius de jure ægædæjæs l. 3. c. 2.

XXXIII.

De potestate Regis Romanorum , qvam vivo Imperatore exercet , notandum , eandem ipsi cum Imperatore vivo non posse tribui , neq; aliam , saltem regulariter & ordinarie , qvam ex commissione Imperatoris , accuratiōrum Juris Publici Doctorum sententia ipsi competere ; cum unius rei dominium uno eodemq; respe-
ctu penes duos in solidum esse neq; veat , verumq; sit , qvod Saxoniae Electorem adversus Ferdinandum I. tum Regem Romanorum , apud Sleidanum l. 8. Comment. ur-
sisse legimus , Principes ac Ordines Imperii non teneri Regi Romanorum ulla fide vel jurejurando , nisi post mortem Cæsar. Qvæ qvidem sententia nostra robur accipit ex Literis Caroli V. Imperatoris in Belgium dis-
cedentis , ad Electores & Ordines Imperii , apud Goldast. Neq; nobis negotium aliquod faceſſunt ea , qvæ qvi-
dem complura sunt , & ad qvorum aliquā jam in iis ,
qvæ

qvæ præcedunt, digitum intendimus, Recessuum Imperii testimonia, qvibus Ferdinandus I. simulacrum aliquod summæ potestatis sua auctoritate exercuisse videtur, nimirum an statt und im Namen Kaiserl. Majestät und für sich selbst; itemqve ei tribuitur Königliche Macht/ Vollkommenheit und Regierung. Primum enim, præterquam qvod in aliis Imperii Recessibus, Cæsaris solum nomine, agenda egisse legitur, non inauditum est apud Jctos, eum, qvi mandatum suscepit, incipere etiam aliquid tum proprium exercere arg. l. 12. ff. de Off. Procons. junctæ l. i. §. 1. de Tutor. & Cur. datis. Deinde, verbis apertissimis in omnium Regum Romanorum Capitulationibus cautum est, ne ullam potestatem, Republicæ administrationem, aut prærogativam sibi ullatenus vindicent, Cæsare invito. Sic enim dicitur: Wir sollen und wollen uns auch keiner Regierung noch Administration im Heil. Römischen Reich / oder anders unterziehen / dann so viel uns dessen von Kaiserlicher Majestät vergönnet und zugelassen wird / daß wir auch Thro Kaiserl. Majestät/ die Zeit Ihres Lebens/ an Ihrer Hoheit und Würden des Kaisertums / keine Irrung oder Eintrag thun sollen und wollen.

XXXIV.

Reste tamen Vicarium Imperatoris Regem Romanorum appellari, dubio caret, nisi qvod Elector Palatinus intercedit, sibi vicarias vices Imperatoris competere, etiam cum is peregre abest, ex Aureæ Bullæ c. 5. & veteri privilegio contendens. Contrarium tamen tuentur alii, reputando, Vicariorum, de qua Aurea Bulla loquitur, constitutionem, Interregni incommodis oppositam, ad absentiaæ casum, aliaqve Imperatoris impedimenta, produci non posse.

E

XXXV. Po-

AKT 1569

34. 34.

XXXV.

Poterant his, qvæ haetenus diximus, plura afferri, ad illustrationem nobilissimi argumenti pertinentia. Verum ego, tenuitatis ingenii memor, finem huic qvalicunq; conatui Academico impono, bene precatus JOSEPHO, Regi Romanorum, nuper divinitus electo, & Imperio dato, cui paria olim, cum Augusto Patre, adversus hostes auspicia, felix Imperium, serumq; ad æthera, unde demissus, excessum, DEUS, Germanici Imperii tutor & conservator, benignus concedat.

Ita faxit!

DICTUM VOTIS OMNIBUS.



B. n. II. p.
h. 12, 4

EXERCIT

R
ROM

Su
VIRIC
JOH. CIE
WA

J. U. D. &

Oriental. I.

PATRONI, P.
sui, omni ho

publico

HERMANNVS
H

Ad d. XVI.

Literis HEN



A,



M.

ORI

arum

SPITIS

OMIUS,

20